e-codices

tores liberat. ibi praedicatur. qui devotos coronat. Merito ergo psalmus iste alleluia in titulo cognoscitur suscepisse. qui
et a laude domini fecit initium. et in eius laude finitus est. Siquidem alleluia interpretatur laudate dominum.

Beatus vir qui timet dominum. scilicet offendere. vel quilibet electus beatus est. qui timet eum timore casto. Uxorem enim in
aperientium atque servorum est timere. perfectorum vero ac filiorum diligere. Siquidem perfecta dilectio foras mittit ti
morem. In mandatis eius volet nimis. vel cupiet magis ac magis incedere. ne a regno dei excludatur. Potens. vel glo
riosum erit in terra uniuersum semen eius. vel opera iustorum. ut semen iustorum potens erit in terra uiuentium. hoc est remu
neratio illorum. quae propriis suis operibus potenter remunerabuntur. Generatio rectorum. vel imitatores iustorum sunt filii eorum
benedicetur. scilicet cum audierint. Venite benedicti. et cetera. Gloria et divitiae. vel iustitia et scientiae ut remune
ratio et praemium iusti. in mente sua iam sunt prosperae in se semper. ut gloria et divitiae iusti homines sunt in domo eius. vel in
terra uiuentium. ut in corpore sive in secreto mentis. Et iustitia eius. vel remuneratio manet in saeculum saeculi. vel in
omnia futura tempora. Iustitia quidem hominis dicitur. quae deo largiente praestatur. Exortum est in tenebris. scilicet pec
catorum lumen. vel Christus in tenebris. hoc est in cordibus hominum infidelium lumen. vel Christus exortum est rectis. vel iustis. qui antea
non erant recti. sed postea facti sunt recti per fidem. Misericors. qui parcit delinquentibus. Dominus natura sua
est misericors. dispensatione autem est miserator iustus. tribuendo quod promisit. Iocundus. vel hilaris homo. Lex
in secreto conscientiae est qui elemosinam dat. Iocundum dicit non tam hominibus acceptum. quam deo gratum. Qui miseretur. vel qui
gentibus donat et commodat. non ad usuram. sed ad eadem recipienda quae dedit. ut qui miseretur pauperi et commo
dat Christo. scilicet cibum. ut verbum dei. Commodare autem videtur. quando homo dat temporalia recepturus aeterna. Dispo
net. scilicet ille sermones suos in iudicio. vel in equitate. Non dixit disponet aurum suum in iudicio. ut argentum
ut pecuniam. sed sermones suos. Ista est misericordia. Si vir sanctus doceat alios qui non sunt sancti. disponet ser
mones suos in iudicio. Iustus sermones suos disponet. vel ostendet cum dicturus est domine quinque talenta
tradidisti mihi et cetera. Quia in aeternum non commovebitur. vel non separabitur a consortio electorum. In memoria aeterna e
rit iustus. vel in contemplatione divinae maiestatis a qua separabitur impius. Ab auditione mala non ti
mebit. quam audituri sunt impii. discedite a me maledicti in ignem aeternum et reliqua. Vox dei bona
quidem est. sed impiis mala videbitur. sicut lex bona per se est mala. Paratum est semper cor eius. scilicet iusti sperare in domino.
ut promissa ipsius percipiant. qui saeculi illecebras suis uiuamine calcaverunt. quibus ipse dicturus est. Venite be
nedicti patris mei et cetera. Iustus sperat semper a domino bona recipere. Confirmatum est cor eius. Quia paratum
fuerat
cor beati sperare in domino. consequenter adiunctum est. confirmatum est cor eius. scilicet in domino. vel solidatum. Omnia enim caduca
contempnit. quia illa fuerit delectatione complectitur. Confirmatur ergo cor iusti. cum nulla saeculi felicitate mollescit.
Cor autem positum est per rectae mentis affectum. quod sine aliqua dubitatione promissa novit expetere. Non commove
bitur. scilicet de ipsa fide ad infidelitatem quia supra petram firmatus est. vel super Christum. ut non commovebitur. vel a bono opere
non recedet. Donec despiciat inimicos suos. scilicet in afflictione. vel cum viderit eos dampnatos in iudicio cum
diabolo. Et ita. Donec despiciat inimicos suos. vel vitia et peccata. omnes hereses ut potestates inimicorum.
Dispersit. vel partitus est. ut erogavit. sive distribuit. dedit pauperibus. scilicet non divitibus. Iustus divitias suas distribuit.
ut dominus dicit. Vade vende omnia et cetera. Iustitia eius. hoc est opera illius ipsa permanent. ut remuneratio eius
manet in saeculum saeculi. vel aeternaliter. Cornu eius exaltabitur in gloria. vel in societate sanctorum. Cornu pro potestate ponitur.
sicut danihel propheta testatur dicens. Quatuor autem cornua. quatuor regna sunt. Cornu eius exaltabitur in gloria.
vel regnum ipsius ut potestas exaltabitur in gloria. hoc est cum deo erit. Peccator videbit. scilicet gloriam sanctorum. et irascetur. scilicet
sibi ipsi non iusto. Quomodo videbit cum propheta dicat. Tollatur impius ne videat gloriam dei. Tunc subsequitur vide
ant in quem conpunxerunt. vel visuri erunt illam formam servi quam dignatus
est suscipere de natura humanitate. Sed illam gloriam quam sancti habebunt. nec habebunt peccatores nec videbunt. et quantum
viderint ad illorum poenam videbunt. Dentibus suis fremet et tabescet. vel in igne mittetur et deficiet ut languens
cet. Per stridorem dentium frigus intellegitur. ut illud. ibi erit fletus et stridor dentium. quia et frigus et calor erit ibi

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 233 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/233)